



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Fructus Carceris. n. 13.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1598. strant invertuntque domum, metuntur parietes, perfringunt suspecta. Fessi Irenarchæ duorum dierum irrito conatu, mandant duci Londinum Domi-
nam cum famulis, & abeunt, relictis paucis cum proditore hæreticis. Hunc
etiam nunc integrum à suspicione, Domina abducenda domo vocatum
docet de conclavi vbi *Gerardus* latebat: Iubet cùm cæteri discesserint eo
confundat, vocatumque de nomine moneat tutò posle domo vacuâ pro-
dire; Is quia latere diu luam volebat nequitiam, neglectis Dominæ consiliis
reuocat cautè Irenarchas, docet de conclavi, aliud nihil: diem alterum fru-
stra impendunt: Nocturnæ illius diei vigiliae transigendæ luculentus ignis
accenditur in eo camino sub quo *Gerardus*: Vi caloris tinditur pauimentum,
decidunt carbones penè in caput orantis: aduertunt vitium administri
neque tamen suffodiunt: Quarto die incident in vicino conclavi in aliud
latibulum, in quo cùm *Gerardus* non esset, re desperatâ abeunt, relictâ Do-
minâ domus contra quâm antea statuerant. Illa quæ seuerâ sibi indicta ab-
stinentiâ quadriduo nihil sumplerat, vt in se experiretur quantum famis alter
tolerare viuus posset, vt primum per absentiam molestorum hominum li-
cuit confundit, euocat *Gerardum* quadriduano ieiunio, vigiliâ, loci angu-
stis, longaque lessione emarcidum (nam extra panis biscoeti pauxillum, &
paululum Cotoneati nihil in antrum illatum fuerat) adstat proditor, tegit-
que officijs malevolum animum. *Gerardus* cibo aliquantulum somnœque
restitutus summo mane semigrat: Non multo post tempore conductâ Lon-
dini domo alterâ, vtitur ad commercium literarum cum veteribus ami-
cis hoc ipso proditore internuntio: scribit, præstolatur responsum: Nocte
media irruunt noui homines; *Gerardum* vix è somno vigilem comprehen-
dunt; compingitur in Computorij arctum graueolensque ergastulum; addun-
tur ferrei compedes, quos osculo salutatos amanter complexus est; secundò
tertioque examinatus, respondit scripto quis esset, à quibus, & cuius re gratia
missus; conatum esse homines ad agnitionem & amorem Creatoris inducere;
docuisse obedientiam diuinis atque humanis legibus propter conscientiam; ab-
stinuisse rebus publicis; in Belgio fuisse nunquam; *Holtum* nisi cum Romæ esset
non vidisse, neq; Stanleyum postquam is sub Leicestri militatus discessit An-
gla; Quemadmodum hæc, sic alia quæcunque ad se pertinerent clarè enuntiaturum;
rogare verò nè peruersitati aut obstinationi tribuatur, si ea quæ notos sibi Ca-
tholicos familiaresque contingunt silentio premat; neque enim iustitiae, neque
Charitatis esse huiusmodi propalare. Inter quæ cum multa illi obijcerentur, &
sermones eius aliqui ab Examinatoribus memorarentur quos extra famulum
illum, haec tensis existimatum fidum, nemo audierat, nemo referre poterat, &
præterea adhiberetur ille testis vestium quæ domi heri sui ad *Gerardum* per-
tinerent; intellectum est quo prodente hæc tota tragædia ad catastrophem de-
ducta esset, quæ tamen *Gerardo* gloriosior, plurimis utilior exitit, quâm si ru-
ri naëtus fuisset securitatem diuturniorem.

Fru&tus
Catecris.

XIII. Nam computorij molestias ad tres menses passo amicorum pecu-

niæ

mā impetratum est ut ad Atrium Wintoniense transferretur, sortitusq; Com-
mentariensem facilem, nihil eorum quae ruri peregerat hic omisit. Alijs fi-
dei ianuam, aliis Religionis portum aperuit; Sacerdotibus in Insulam recenti-
bus distribuit habitationes; Iuuenes complures transmisit ad Seminaria, tan-
tamque messem collegit, vt præoptaret in illo carcere quam alibi per Angli-
am vitam reliquam ducere. Etenim præter eam quam carcer præbebat op-
portunitatem pluribus beneficiendi (cùm facillimus cuius daretur accesus
ad alloquium) ex eleemosynis quae copiolè suppeditabantur, conduxit in ci-
uitate domum recipiendis quoque ipsius frequenter sumptu alendis Sacerdoti-
bus; Ei domui curanda præfectam habuit honestam & piam viduam *An-
nam Line*; cuius demum diligentia in ministrando præmium fuit vitam fi-
dei & Religionis causâ cum ijs ponere quorum summa est gloria vitam hanc
(cuiusmodicunque ea sit) fidei Religionique tuendæ posthabere. Post trien-
nij namque curas, Purificationis Beatissimæ Virginis Festo die, cùm ad Cere-
orum benedictionem cuncta essent parata, irrumptibus ex improviso per-
quisitoribus, & Sacerdote solerter clapo ad latebras, illa dicitur ad nouam
Portam, tam infirma corpore ut vtrimeque esset sustinehda, tam animo
constans ut plus Sacerdotis salute quam suo periculo tangeretur. Addita ad
corporis ægritudinem carceris molestia eò illam paucis diebus deduxerat in-
firmitatis, ut lepto affixam vnâ nox vigesies ablatura videretur. At seruauit il-
lam Deus ut & suam potentiam in infirmiori lexu ostenderet, & immites iu-
dicum nostrorum animos orbi vniuerso proponeret suspiciendos. Eius men-
sis die vigesimo quinto (etsi retulerat Commentariensis eam præ debilitate non
posse pedibus insistere) iussa in sedili vehi ad tribunal, eo maiori cum mentis
letitia sententiam mortis accepit, quod illo solo nomine ferretur, quia Sacer-
dotem domo accepisset. Biduo post in cartucam imposita, optans pro uno po-
tuisse le mille Sacerdotes recepisse domo, fatale lignum osculata, & salutari Cru-
cis signo se muniens, teste intercluso spiritu piam efflauit animam. Sacerdos qui *Francisci*
istâ præhensa euaserat, erat *Franciscus Pagius*, is qui deinde Tyro in Societate *Page initia*
veterani militis coronam sanguine pro Christo Iesu fuso consecutus est. Hone-
stu loco natus & ad legum nostratum scientiam educatus scribebat Iuuenis sub
opulento vtriusque Iuris perito iunctus contubernali Catholico; hic *Pagium*
de Religione pendulum dicit ad *Gerardum* quo vtebatur à Confessionibus.
Non fuit difficile tenetum adolescentis animum in retam fidem inflectere,
quem & ratio suadebat & trahebat amor Catholice filiæ quæ eum casti amore
coniugij prosequebatur. At *Gerardus* indolem hominis introspectiens, & can-
didam verecundamque mentis habitudinem formæ quam habebat non dissen-
tientem anteferens, sorte existimauit dignam meliore quam patere posset fœ-
mina quantumvis pia & opulenta. Post principia Religionis, fideique iacta
fundamenta, modò sermone, modò traditis libris, modò transcribendis de re-
bus diuinis commentationibus aperit ei terrenorum inconstantiam, Cœlesti-
qm firmitatem & pondus, ac pedetentim ad altiora promouens suadet cœliba-
tum